



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

Urspergum, cœnobium Præmonstratensis instituti magnificum, ad
Mindulam fluvium in Augustana diœcesi ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

*Nec procul esse diem, venit qui extremus ab orbe
 Aethereo, nos ad iudicis ora vocans,
 Iudicis aeterni, qui conspicit omnia, quemq;
 Nil latet: ipsa etiam qui tua corda videt.
 Hunc nos oremus non fictis mentibus unum,
 Propitius nostris parcat ut ipse malis,
 Omnibus ut clemens peccata admissa remittat,
 Nostrorum & scelerum deleat omne nefas.
 Quasq; sumus meriti poenas, ut mitiget illas,
 Nec Iudex, mitis sed pater esse velit.
 Nos vero in melius nos convertamus & omne
 Cessamus facere id, quod vetat ipse Deus.
 Haec faciamus & ex animo faciamus, honestas
 Anobis fieri quae cupit atq; Deus.
 Sic miserebitur aeternus, deponet & iram
 Conceptam: atq; iterum fiet ut ante pater;
 Qui dabit è superis tranquillos sedibus annos,
 Et dabit omne bonum, terra quod omnis habet.*

URSPERGUM, coenobium Præmonstratenſis inſtituti ma-
 gnificum, ad Mindulam fluvium in Auguſtana dioceſi me-
 dio fere itinere inter Auguſtam Vindelicorum & Ulmam Sueviæ
 metropolin ſitum, fundatum & extructum eſt anno Domini
 1125. à Wernhero, Comite de Schvvabeck & Baltzhaufen, cu-
 jus nominis caſtrum Schvvabegk dictum duobus milliaribus à
 Mindelheimio, civitate Suevica, abeſt, hodie prorfus vaſtum &
 inhabitabile, Comitum à Schvvabeck (qui ex regia ſtirpe Polo-
 norum & Ungarorum nati feruntur) antiqua ſedes. Oppigno-
 ratum fuit hoc coenobium anno Chriſti 1200. Bertholdo à Neif-
 ſen, ſed monachi ſe tandem redemerunt à Neiffenſium tyranni-
 de centum auri marcis, ut teſtatur Abbas Urſpergenſis, celebriſ
 chronographus. Fundatorum & benefactorum talis genealo-
 gia in coenobii monumentis extat:

<p><i>Burgum, Wernberus, Comes de Schwabegk, verus fundator Urspersgam.</i></p>	<p><i>Wernberus, Comes de Schwabegk, verus fundator Urspersgam, ex conjugē Richinza, Marchionis Austriaci filia, accepisse legitur</i></p>	<p><i>Conradus Conradi frater, præfectus Augustanus.</i></p>	<p><i>Schwinhildis soror, fundatrix cœnobii monialium Burgenfis, quod olim è regione Urspersgamis monasterii fuit, & vastatum est annu Christi circiter 1440. Hodie Burgum tantum pagus est & filia ecclesiæ Baltzulanæ, in cuius templo hæc Domina Schwinhildis Comitissa cubat.</i></p>	<p><i>Gisela, Wernheri & Conradigermaniæ soror, fundatrix & prima Abbatissa Edelstettensis Canonissarum in Suevia collegii.</i></p>
<p><i>Wernberum &</i></p>	<p><i>Adelgosum, qui obiit ante patrem juvenes impuberes.</i></p>			

Sepeliuntur in hoc monasterio, præter fundatores, nobiles etiam Barones Dapiferi de Hoffingen, nobilesq; reguli à Freiberg, Lichtenau, & Hasenberg. Celebratum est totum hoc cœnobium à me & prolixo carmine, anno ætatis meæ 19. quod quia omnes ejus Præpositos & Abbates complectitur, ac medicriter totius cœnobii annales recitat, malui illud quàm nudum catalogum studioso antiquitatis lectori obtrudere: alioqui carmen satis puerile facile passus essem perire.

Topographia.

Mindelheimium.

Mindelium su.

Est locus in Suevis, ubi multo gurgite aquarum

Mindelium celsi currit ab arce jugi,

Et parvam ejusdem mox nominis alluit urbem,

Quæ breve de stuvii nomine nomen habet.

In qua vivebat nuper Fronsbergius heros,

Militia, armorum dotibus atq; potens.

Non procul inde jacet spatiosa in valle, superbo

Templo, ut æria turre decora domus,

Quam mediam supra descriptus dividit amnis,

Et tandem Istrinis consociatur aquis.

Nobilis hanc pietate Comes Wernberus a vita

Extruxit propriis sumtibus atq; bonis,

Esset ut illa viris habitatio commoda doctis,

Qui Christi leges & pia jura colunt,

Qui

Qui precibus castis & carmine quotidiano
 Rectorem cœli sollicitare solent.
 Hanc, inquam, extruxit fidei Wernherus amore,
 Præclarus Musis ingenioq; Comes,
 Quem de Schwabecko natum veneranda vetustas
 Dicit, & antiqui personuere libri.
 Urspergamq; vocans hirsutis nomen ab Ursis,
 Quorum permultos terra habet ista, dedit.
 Nam domus ipsa jacet viridanti in valle, per herbas
 Prataq; frondosis undiq; cincta jugis.
 Quæ venatori loca sunt accommodata, telis
 Si premere ille velit bruta ferasq; suis.
 Hujus conventus dignos proceresq; Patresq;
 Est animus versu commemorare brevi.
 Præmonstratenses apta qui voce vocantur,
 Quod monstrent summi dogmata vera Dei,
 Ostendantq; viam, qua nos ascendere ad altos
 Possimus cœlos sideremq; domum,
 Quæ cunctis sanctis cœlorum à Patre parata est,
 Ut vitam post hanc ingrediamur eam.
 Quæ felix vita est, cunctorum exersq; laborum,
 Omni tristitia quæ vacat atq; malo.
 Vos ergo, Aonides, faciles præbebe Camenas,
 Cultori vestro carmina ferte mihi,
 Qualia Peligno vati Andinoq; dedistis,
 Ut digne valeam hos nobilitare patres,
 Qui varia exculsi doctrina atq; arte fuerunt,
 Quorvis propterea munere digna cohors.
 Quod si feceritis, vobis ego præmia digna
 Pro tali officio præsidioq; feram.

Fundatio
monaste-
rii.

Proposi-
tio.

Invoca-
tio.

Fundatio cœnobii in numeris Romanis.

EX qVo Ursperga sIt à Wernhero eXtrVCta CeLebrI
 In SVEVLs, rVDIs aC parVa tabeLLa CaVet.

De Vestitu & niveo habitu Præmonstraten-
sium schediasma.

Qui Christi intrepido pia pectore jura fatentur,
 Et Domini debent pascere rite gregem,
 Hos vitæ certe integritas purissima, mentis
 Candor & ingenium, dexteritasq; decet.
 Hoc regina poli volvens in pectore circum,
 Quæ Dominum vitæ mater honesta tulit,
 Præmonstratenses, æternæ limina vitæ
 Monstrantes, quæ sit vitæ gratia Deo,
 Pura uti voluit veste & candore notata,
 Ut candorem animi significaret opes.
 Mentis opes quibus haud meliores sustinet orbis,
 Quas quicumq; tenet, optima quæq; tenet.
 Idcirco hanc olim a summo demisit olympo,
 Dixit & hoc animi pignus habete mei.
 Sic ego candida cælorum regina per orbis
 Æthereos curru splendidiore feror.
 Hoc meus est gnatus candore notabilis, omni
 Nigritia cujus pectora sancta vacant.
 Tales ipsius esse decet vos nempe ministros,
 Quales hæc vestis vos monet atq; jubet.
 Hanc, quoties posthac sacras celebrabitis horas,
 Induite, aut dantes thura precesq; mihi.

Triplices gubernatores Urspergensis cœnobii.

Templum Urspergensis hoc triplices habuisse refertur,
 Quos penes imperii cura decusq; fuit.
 Præpositos Latio quosdam sermone vocabant,
 Præpositi reliquis quod pietate forent,
 Dotibus atq; aliis naturæ simplicis: horum
 Multos ista habuit ter veneranda domus.
 Abbates alios Hebræa voce ferebant,
 Quod reliquorum essent cura & amore patres.

Hoc

Hos iterum duplici discernabant ratione:
 Nam quosdam ornabat mitra pedumq; grave.
 Sed quidam tali non ornabantur honore:
 Hos omnes volet hæc dicere charta tibi.
 Tu, quicumq; legis procerum hæc monumenta piorum,
 Hanc itemem Musam consule, queso, boni.
 Quæ bibit Istrinos tantum Blauig liquores,
 Nec dum Castalidum principis hausit aquas;
 Quas Nasonem olim reliquosq; hausisse Poetas,
 Ascrunt Vatem, Meonidemq; ferunt.

Catalogus Præpositorum Urspergensium.

Cum Comes hospitium motus pietatis amore
 Hoc Christo & Superis constituisset ibi,
 Mox designari fecit dominumq; patremq;
 Qui regeret sacram cum pietate domum.
 Iste Ulricus erat magnæ vir dexteritatis,
 Cælestis fidei & religionis amans.
 Is fratres sanctos diuina ad castra vocavit,
 Prescripsitq; ipsis iura viasq; piæ,
 Quæ summo Patri, Christo, diuisq; placerent,
 Et quæ nos possent conciliare Deo.
 Idem sex annis istas moderatus habenas
 In Christo moriens ultima fata tulit.
 Illius ergo animam dulcis tu suscipe Jesu,
 Et tuere a nigri demonis insidiis!
 Qui coluit rerite, tuosq; iurabat honores,
 Corde pio hunc quoq; tu suscipe amore pari.

Eligitur anno Domini 1125. Obiit anno Domini 1131.

GREMO.

Omnibus à mortalibus hic vitæq; fideq;
 Esse putabatur (nec sine mente) sacer,
 Tam sacras leges diuinæq; dogmata amabat
 Tali voluebat sedulitate libros,

Ulme:
 ibi enim
 cadit Bla-
 vus in Da-
 nubium,
 ubi scri-
 ptum est
 hoc car-
 men.

Ulricus I.
 præposi-
 tus.

Gremio II.

Qui

Qui res cœlestes sacra & mysteria tractant,
 Et nos de fidei conditione docent.
 Ostendunt castam nec non sine crimine vitam,
 Quæ summo possit rite placere Patri.
 Hic cum bisseos tenuisset sceptrâ per annos,
 Combusta est magno tota dolore domus.
 Quæ licet in nigras esset conversa fa villas,
 Istius arte iterum est condita tota tamen.
 Et quæ Vulcano misere consumpta jacebat,
 Mox caput è tenebris extulit alta suum,
 Præpositi illius cura patrioq; labore,
 Auxilio, ingenio, sedulitate, fide.
 Qui quadraginta annis cum præfuit atq; duobus,
 Aeterni mundum liquit amore Patris,
 Letus & in Christo superas concessit ad oras,
 Cum sanctis ubi nunc vescitur ambrosia.
 Obiit anno 1173.

Waltber. I.
 III.

WALTERUS.

Cum Gremio sidereas hinc emigrasset ad arces,
 Ad quas sanctorum turba venire solet,
 Waltero baculus committebatur inertis,
 Ignarvo, indocto, sordiduloq; viro.
 Is per quinq; annos Uyspergæ præfuit, exq; hac
 Migravit vita ad regna laresq; Dei.
 Quicum venisset Friderici ad Cæsaris ora,
 Et nulla insignis dote nec arte foret,
 Contemptus misere nihil impetravit eorum,
 Quæ petere ante pedes Cæsaris ausus erat.
 Et quia talis erat domui præfectus honestæ,
 Qui nihil omnino norat, asellus iners,
 Fratribus ipse aliis durus quoq; Cæsar, ob istum
 Passus eos varia est seditione premi.
 Hinc vos, ô monachi, Musas colitote, velitis
 Ni quoq; vos magnis regibus esse pudor.

*Ni male tractari cupiatis vos quoq; vester
Ut male tractatus rector ubique fuit.*

Obiit anno Domini. 1178.

THEODORICUS.

Lite etiam nostrò celebrari carmine debet,

Virtuti verè si quis habendus honos.

Tam fuit eximià totus pietate decorus,

Tam doctrina omnis fautor amicus erat.

Impiger Urspergam regnarat quattuor annis,

Extremumq; Dei clausit amore diem.

Solis & accessit domicilia, scilicet ejus,

Qui nunquam occasum, nunquam Acheront a subit.

Obiit anno 1182.

ULRICUS SECUNDUS.

Quintus in ordine Praepositorum, hac voce secundus,

Claro erat Huldricus praeclitus ingenio.

Fidus is, eximiàq; industrius arte regebat

Tali animi fratres dexteritate suos,

Ut celebri merito tollatur laude, piisq;

Interponatur caliculisq; viris.

Conspicuas variis structuris reddidit edes,

Addidit & templis munera grata suis.

Cumq; gubernator per bis duolustra fuisset

Dexter, ad Elysiū migrat ab orbe pium.

Obiit anno 1203.

ULRICUS TERTIUS.

Tertius Ulricus, sed sextus in ordine praeses,

Vir probus & mire religioſus homo,

Pectore sincero Christum complexus, amavit

Sacrarum rerum, quicquid is orbis habet.

Qui per quinque annos sedis cū scepra tulisset,

Ad Superos abiit non rediturus avos.

Obiit anno Christi. 1208.

Gggg

FRIDERI-

Theodoricus
cu. 17.

Ulricus se-
cundus. V.

Ulricus
tertius. VI.

Fridericus
VII.

FRIDERICUS.

Hic dicebatur Fridericus, nomine iusto:
Pacis enim placida per studiosus erat.
Concordes animos integro federe amavit,
Osor erat Martis militiaq; trucis,
Qui cum septem annis hoc esset honore potitus,
Ex hac migravit pestilitatis humo
Ad consortia & ad sanctarum habitacula animarum,
Adq; Pawompei limina celsa Jovis,
In quibus est aeterna quies: concordia paxq;
Aurato in solio tempus ad omne sedens.
Obiit anno 1215.

Burcardus
patria Bi-
bracensis,
&c. VIII.

BURCARDUS Patria Bibracensis, antea Præ-
positus Schussenriedanus.

Sævit hoc regnante iterum Vulcanus in ædem,
In cineres penè, ut tota soluta foret.
Per duo lustra datas cum vix tenuisset habenas
Burcardus, multa vir pietate bonus.
Sed post hanc miseram cladem & lachrymabile fatum,
Bissenos menses cum superasset adhuc,
Tristitia & mærore gravi concussus, ad astra
Concessit mundo ex hoc miserog; lacu.
Obiit anno Christi 1226.

Conradus à
Lichtenau.
IX.

CONRADUS à Lichtenau.

Iste ob doctrinam, duplicemq; ob nobilitatem
Omnino mihi non prætercundus erit.
Nam cum natus erat generoso stemmate & ampla
Progenie, eximios nobilis inter avos,
Et vitam bene felicem potuisset habere
Fortura propter munera larga sua,
Ornari voluit tamen hæc quoque Nobilitate,
Quæ vera est, clari scilicet ingenii.
Cujus multa quidem nobis monumenta reliquit.

Qua

Qua sunt perpetuo digna patrocinio.
 Inter qua Chronicon Latii sermonis honesto
 Per scriptum, & mire conveniente stilo.
 Historias omnes & Martia praelia Regum
 Priscorum exponit, Casareosq; viros.
 Id cum legisset studioso pectore quondam
 Ille vetustatis cultor & hospes opum,
 Peutingerus, honor tuus, O Augusta! tuumq;
 Eximium decus & maximus ille Pater,
 Regibus ille tribus qui consiliarius ingens,
 Nunc etiam imperii est totius altus amor,
 Ex templo inventa nuper dedit arte premendum
 Chalcographis, vario posset ut orbe legi,
 Ne tali Germania privaretur honore,
 Sed quoq; Teutonici sic legerentur avi:
 Ne semper posset tantum gens Itala nobis
 Longius historicos commemorare suos.
 Exiit iste liber sacrati Maxmiliani
 In lucem, jussu consilioq; gravi.
 Commendatior ut cunctis lectoribus esset,
 Quamvis eximie se satis ipse probet.
 Cetera scripta viri sacras ornantia leges
 Non est nunc animus commemorare mihi.
 Illa suas etiam laudes, sua digna merentur
 Præmia apud doctos in pietate viros.
 Hoc tantum adjiciam de vita conditione,
 Et reliqui insignes quod meruere patres:
 Non tantum propter Musas scriptosq; libellos
 Laudibus extolli & carmine posse virum.
 Namq; erat in reliquis quoq; non minus ingeniosus
 Rebus, consiliis officioq; piis.
 Structurus pulchris illustres reddidit ades,
 Ignibus horrendis qua periere prius,
 Collegit varios scriptores atque poetas

GGGG 2

SACROS

Chronicon
 Abb. Ur-
 berg.

Sacros, Pœnicos, Juridicosq; libros,
 Hos pulchrè ornatos, pulchre certòq; locavit
 Ordine in eximiam conspicuamq; domum.
 Et cùm regnasset tali ratione per annos
 Quattuor integros, per duo lustra simul,
 Cursum hunc absolvit feliciter, istaq; fata
 Ultima constanti pectore & ore tulit.
 Ingressusq; polos & summi habitacula Christi,
 Nectar cum Superis haurit & ambrosiam.
 Obiit anno 1240.

BERTHOLDUS.

Bertholdus.

X.

Conradus superum cùm conscendisset olympum
 Ex hac tristitia & pestilitate gravi,
 Jamq; Ursperga bonè ac fido rectore careret,
 Quo tamen haud potuit ritè carere diu.
 Bertholdus patribus reliquis est annumeratus
 Conventus nutu totius atq; notis.
 Vir pius & castè verus probitatis amator,
 Musarum cultor Pierèiq; gregis,
 Qui cum regnasset per quinq; fideliter annos,
 Hæc vita æternæ cessit amore domus.
 Obiit anno 1245.

CONRADUS à Winzern.

Conradus à
Winzern.

XI.

Hunc etiam nostro celebrandum carmine duxi
 Propter virtutem, propter & ingenium.
 Quod fuit eximium sane, si seclâ fuissent
 Equa magis Phœbi & prosperiora choro.
 Qualia temporibus nostris sunt, aurea prorsus,
 Si studia hæc rectè nostra videre velis.
 Is per tres annos cùm talia sceptrâ tulisset,
 Expirans animam misit ad astra suam.
 Obiit anno Christi 1248.

FRIDERI.

FRIDERICUS SECUNDUS.

Fridericum
Secundus.
XII.

Nec, Friderice, tuas virtutes transgredietur
 Disparibus currens vestra Thalia modis.
 Qua tantæ certè, tam clara amplèq; fuerunt,
 Ut nequeam versu has enumerare brevi.
 Tu nostras tamen has animo patiente Camenas
 Suscipe, quas humiles cernis & esse rudes.
 Dignus eras graviore atque uberiore poëta,
 Qui posset plene res celebrare tuas.
 Vix etenim pietatis erat studiosior alter,
 Et nulli ingenii dote secundus eras.
 Debebas procul à seva esse tyrannide mortis,
 Si mors ingeniiis parcere seva solet.
 Sed rapit horrendo proh optima quæq; tumultu,
 Nec ratione aufferit deteriora pari.
 Sic etiam nostris doctum te sustulit oris,
 Cum nondum rector per duo lustra fores.
 Verùm non curas terrestres amplius arces,
 Nec tibi nunc mundi regna vetusta placent.
 Cum sis atherei jam consiliarius ingens
 Numinus, ingressus templa domosq;: Vale.
 Obiit anno 1257.

HENRICUS de Kneringen.

Henricum de
Kneringen.
XIII.

Nobilis is genere, an virtute etiam ingenioq;
 Nobilis extiterit, pectora nostra latet.
 Hoc constat, sacra fidus quod præfuit adi,
 Quing. annis, patris & venit ad astra Jovis.
 Obiit anno Christi 1262.

HERMANNUS.

Herman-
num. XIV.

is cum dimidium lustro conjunxerat annum,
 Nec gereret justâ res gravitate suas.

GGGG 3

Fratr-

*Fratribus à caustis perpulchro exutus honore
Imperii, sceptris excidit ille suis.*

Deponitur anno 1268.

THEODERICUS SECUNDUS.

*Hunc mea Musa etiam digno cantabit honore,
Musarum qui non gloria vana fuit.
Viderat hic cultæ venerandas Palladis arces,
Et quas cum Musis magnus Apollo colit.
Castalios avido gustaverat ore liquores,
Quos bibere Aonidum sola caterva solet.
Huic, cum septem annis summò regnasset honore,
Dissecuit filium de tribus una soror.
Qua solet omne malum & tristes finire dolores,
Et vitæ alterius dona beata dare.*

Obiit anno 1275.

HERMANNUS antea exauthoratus.

*Qui prius eiectus fuit, & contemptus ab omni
Conventu, iratis fratribus atq; suis:
Is, vitæ melioris iter, cum laude capeffens,
Præficitur domui rursus ut ante sacra.
Cui non præfuit ipse modo, sed profuit, atq;
Utilis ingenti commoditate fuit.
Nam deinceps vitam transegit religiosam,
Nil curans aliud quàm celebrare Deum.
Iste uni lustro cum tres adjecerat annos,
Rector, ad Elysios mortuus ivit agros.
Ille perpetua summum laudare Tonantem,
Æternumq; patrem voce sonare solet.*

Obiit anno Christi 1283.

LUDOVICUS.

*Istius imperii tandem Ludovicus habenas
Commisissas fidei caput habere sua.*

Theoderi-
cus Secun-
dus. XV.

Herman-
nus antea
exautho-
ratus. XVI.

Ludovicus
XVII.

Impiger

*Impiger ille decem domui cum præsuit annis,
Alterius fidei Lampada tradit ovans.
Pertusus tarda lucis vitæq; caducea,
In misero hoc felix fuit orbe diem.*

Obiit anno Domini 1294.

HENRICUS SECUNDUS.

*Quàm primum superas adiit Ludovicus ad aras,
Attulit & Domino munera grata suo;
Designabantur consensu Henricus honesto,
Istius ingenua Duxq; paterq; domus.
Qui cum regnasset summa probitate per annos
Sex, veram ad patriam cessit ab orbe suam.
In qua nil nisi vera quies, conjunctio amica,
Atq; omnis generis commoda vera nitent.*

Obiit anno 1300.

ALBERTUS.

*Huic ferè fortuna suos invidit honores,
Divitem, & Abbatem, noluit esse diu.
Nondum etenim quartam partem transegerat anni,
Cum dirupit ei Parca maligna colum.
Et traduxit ab hoc terrestri ad Olympica regna,
Quæ sunt nullo unquam corruiura die.*

Obiit anno 1300.

BERTHOLDUS SECUNDUS.

*Nec fortuna isti mundanos favit honores,
Ut qui habitanda magis natus ad astra fuit.
Dimidium vix dum rector traduxerat annum,
Cum cæli æterni regna petebat ovans.
Æterniq; patris celsam ingrederetur ad aulam,
Ad quam perpetuo nunc in honore sedet;
Spernit & omne decus terrestre, amplissima sceptrâ,
Quicquid & eximii mundus honoris habet.*

Obiit anno Christi 1301.

LUDOVI.

Henrici
Secundus.
XVIII.

Albertus.
XIX.

Bertholdus
Secundus,
XX.

LUDOVICUS SECUNDUS.

Ludovicus
Secundus.
XXI.

*Nec mea Musa suo hunc ipsum fraudabit honore,
Det vires tantum diva Thalia mihi.
Quales Mæonio vati suggestit Apollo,
Et dedit Andino diva Minerva seni.
Cum cerneret arces Priami. Trojæq; ruinas
Laomedoniacos, Hæctorcosq; duces.
Ergo Thalia veni, molles mihi suggere versus,
Si curas vatem me dominumq; tuum.
Nam fuit eximia pater hic pietate decorus,
Doctrina Christi tam studiosus homo:
Ut quog; scripserit ipse libros, & Bibliothecam
Hæc ipsa ornârit commoditate suam.
Cultor Appollonia fuit admirabilis artis
Totius, atq; tui, Pieris alma, chori.
Præterea bonus Oeconomus, benè profuit ad
Huic Urspergenfi, sedulitate sua.
Qui tribus ut lustris quog; tres adjunxerat annos,
Regnando ingenio atq; autoritate simul.
Afflictum hunc orbem terrenaq; regna reliquit,
Latus & in Domino fata suprema tulit.
Ipsius ergò pius, tu diva Thalia, sepulchrum
Ac cineres sacro flumine sparge pios.
Nec pigeat tumulo carmen superaddere tale,
Hic doctrina, fides, hic pietasq; jacet.*

Obiit anno 1318.

HENRICUS de Kirchen.

Henricus
de Kirchen.
XXII.

*Hic quog; laude pari doctrina atq; integritatis,
Conspicuis, sacro præfuit hospitio.
Et summa Christum coluit reverentiâ, & ore
Castò imploravit Numinis hujus opem.
Quod pro peccatis mundi, ob nostramq; salutem,
Mortis, in hac vita, tela crucemq; tulit.*

Cumq;

*Cumq; hæc regnasset pietate fideliter annis
Septem, ad Concilium migrat ab orbe pium.
In quo cum gnato sedet, & cum Pneumate sacro,
Cunctarum rerum Rexq; paterq; Deus:
Prævidet atq; diem, qua totius ultima mundi
Transactæ vitæ præmia cuiq; feret. Obiit anno 1325.*

CONRADUS PILEOLUS.

*Hic demto mense uno, unum sedisset ut annum,
Exutus titulo & patris honore fuit.
Forſitan ob mores pravos, annosve ſeniles;
Namq; aliud nihil hic pagina præſca refert.
Deponit anno 1326.*

Conradus
Pileolus.
XXV.

Henricus
Ziechenbo,
&c. XXIV.

HENRICUS Ziechenbogiſ Rodanus.

*Si probitas laudem, ſi præmia digna meretur,
Laudibus hic ſummis concelebrandus erit.
Nam pietate Deum, verâ coluiſſe fideq;
Dicitur, & Chriſti dogmata præſca ſui.
Pauperibus præclarus erat pater atq; patronus,
Mæcenæ ſtudiis præſidiumq; bonis.
Cui ſeptem licuiſſet ubi regnare per annos,
Deſit amplius hoc vivere in orbe malo.
Et conceſſit ad ætherei pia limina templi:
Hic ſolet æternum nunc celebrare patrem.*

Bertholdus
Tertius.
X XV.

Obiit anno Chriſti 1333.

BERTHOLDUS TERTIUS.

*Præſuit ille ſuis feliciter, octo per annos,
Arte, fide, ingenio, & dexteritate pari.
In Domino moriensq; polos properavit ad altos,
Qui ſunt Chriſticolis patria gnata viris.
Illic fidereas requieſcit tutus ad aras,
Amplius hoſtiles nec timet inſidias.
Nec metuit ſtygios fratres, Orciq; Parathrum,
Stelliferæ ſed ovans urbis amœna tenet.*

Henricus
Quintus.
XXVI.

Obiit anno Chriſti 1341.

Hhhh

HENRI.

HENRICUS QUINTUS.

Henricus postremus in ordine præpositorum,
 Vir fuit eximie nobilis, atq; pius.
 Qui cum regnasset septem feliciter annis,
 Et sex integris mensibus absq; dolo,
 Ac sine fraude omni, cum simplicitate paterna:
 Concilii accessit templa beata sacri:
 In quibus ipsa sedit Mens illa aterna, gubernans,
 Sol sub utroq; videt vertice quicquid opum. Obiit a^{no} 1349.

Hactenus Præpositi, sequuntur Abbates.

Desinit inferius cognomen Præpositorum,
 Dignius & patribus nobilissq; datur:
 Ut nunc Habrao Abbates sermone vocentur,
 Quod commune suo cum Jove nomen habent.
 Totius est pater is generis mortalium, & auctor:
 Sic patres turba hi pauperis esse solent.
 Quod cum præclare Urspergensis turba fuisset,
 Hac laudes ut adhuc nominis hujus habet.
 Curaq; Pontificis Romani cerneret ipsam,
 Virtute augeri hanc, divitiisq; domum.
 Crescere quotidie studium quoq; Religionis,
 Effectus fidei deliciasq; pia:
 Rectores etiam mage digno ornavit honore,
 Abbates titulo jusfit & esse novo.

Sic integra solet sua semper premia habere
 Magnanimi virtus filia amorq; Jovis.

HENRICUS de Rayn primus Abbas
Urspergensis.

Nec reliquis fuit inferior virtute minorq;
 In sacro qui Abbas limine primus erat:
 Nam quamquam prius esset avita Religionis
 Egregius custos, fidus amator item:
 Præcipua tamen ut regnandas cepit habenas,
 Multiplici coluit laude, & honore Deum.
 Perpetuoq; legens doctorum scripta Virorum

Henricu de
 Rayn. & c.
 XXVII.

*Perferut abatur dogmata sacra Dei,
 Iustitia defensor, amans legumq; bonarum
 Cultor Appollineæ nobilitatis erat.
 Quin numeris virtutum absolverat omnibus ipsum,
 Quæ solet ingenis diva præesse bonis.
 Hinc ornare etiam titulis & honoribus ipsum,
 Præ reliquis voluit Roma opulenta novis.
 Fecit & omnibus melioribus auspiciisq;
 Abbatem, & titulo splendidiore patrem.
 Præpositum modo, quem vulgus prius omne vocabat,
 Præpositus sacris quod foret ipse focus.
 Quatuor at lustris & quinq; ubi præfuit annis,
 Ex hoc mortali carcere cessit orans:
 Fratris & accessit pia conciliabula Christi,
 In mortali ubi nunc vescitur ipse cibo.*

Obiit anno Christi 1374.

ALBERTUS Secundus: Abbas Secundus

Urspergensis.

*Iste etiam, ut decuit, fuit admirandus amator
 Dogmatis, è sacro quod Jovis ore fluit.
 Sacrarum iccirco divina volumina legum
 Castas historias, Bibliacosq; libros.
 Assiduoq; alios scriptores ore legebat,
 Qui nos de Christi cognitione docent.
 Qui nobis fidei in Christum depingere formam
 Et Christi mortem commemorare solent:
 Utq; mihi liceat perstringere plurima paucis,
 Nullius ipse rei tam studiosus erat,
 Quàm recte ut Christum, Christiq; agnoscere verbum,
 Ipsius, & vero posset amore frui.
 Cùmq; gubernator per bis duo lustra fuisset,
 Perq; annum integrum hoc fidus in imperio;
 Christi ardore gravi, tumido decessit ab orbe,
 Ingressus superi culmina celsa poli.*

Obiit anno Domini 1395.

Hhhh 2

De

Albertus
 Secundus,
 &c. XXVII

De Henrico
Pffaffenhu-
fo. XXIX.

DE HENRICO Pffaffenhusio, Tertio

Abbate.

Sapphicon.

Hunc canam nostris etiam Camenis,
Vas pia praesto modo adesse Musa,
Nam mihi vestra est opus arte, cura

Prasidioq.

Dignus aeterno fuit ille plectro
Gloria, cultu, reverentiaq.

Ob pios mores, aciemq. mentis

Et probitatem.

Per duos annos, totidemq. lustra
Praesuit summo studio atq. amore

Aedibus sacris, pater atq. rector

Religiosus.

Cumq. sentiret nihil esse in orbe

Hoc, nisi tristes animi ruinas,

Mille technarum species, dolendas

Seditiones,

Prælia & rixas, varios tumultus,

Mortis ac dira dubios timores,

Et cruentatas sanie sagittas,

Martiaq. arma.

Ambulat cæli moriens ad arces,

Aureas sanctorum habitationes,

Orbe contempto, petit & beata

Gaudia vita.

Obiit anno Domini 1407.

DE BALTHASSARO, Quarto

Abbate.

Carmen Phalecion.

Ille Balthassarus optimus patronus

Mecenasq. fuit per omne tempus

De Balthar-
saro. XXX.

Fontis Castalii, ac novem sororum,
 Qua montis hi fidi choros frequentant.
 Illi individuumque Trinitatem
 Sacrum Pneuma, Patremq, Filiumq,
 Sincera reverentia, fideq,
 Amplexus, coluit suos per annos,
 Quos illi pater ore sempiterno
 Certos constituit, ratosq, fecit.
 Urspergam nitidis beatiorem
 Structuris faciens & ampliorem,
 Illustrare sacrarum, domosq,
 Omnes nempe sacras pie solebat,
 Qui cum quatuor hic fuisset annis,
 Abbas strenuus & pater fidelis,
 Atq, his quatuor addidisset ultra
 Menses sex, proficisci ad alta cepit
 Stellati & veneranda templa caeli.
 Illic anumeratus est piorum,
 Sanctorumq, Choro, & per omne seclum
 Laudat terq, quaterq, Regem Olympi,
 Pacis siderea Ducem perennem,
 Qui solus dator omnium bonorum est.

Obiit anno Christi 1412.

Urspergam hic iterum Praesul Romanus honore
 Ornavit vera pro pietate novo:
 Quos etenim Abbates mutato nomine dudum
 Dixerat, hos habitu Praesulis ire jubet.
 Addit & ex auro praeclara insignia puro,
 Quae Majestatis sint bona signa nova.
 Namq, datur capiti venerabilis Insula sacro,
 Auro & gemmarum munere tota micans.
 Auratoq, pedo manus insigne coruscat.
 Non secus ac Titan lucet in arce poli.
 Tali habitu ingreditur semper clarissimus Abbas,

Hhhh 3

si

De Galiel-
mo. XXXI.

*Si parat immenso sacrificare patri.
Quem penes omnia sunt mundi illustrissima regna,
Quem penes omne decus, gloria, laus & honor.*
Asclepiadeum Choriambicum de GU-
LIELMO à Thanhusen primo Abbate
Infulato, qui electus est anno 1412.

*Ille inter reliquos precipuos Viros
Describendus erit carminibus meis,
Tu saltem auxilium fer sacra Pieris,
A me Xeniolum diva feres bonum.
Turba Pieria fidus erat pater,
Claris ingentis ex animo favens:
Nec mirum, artibus his ipse etiam fuit
Edoctus nitidis à pueritia,
Res sacras adamans & Ceremonias
Quas Ecclesia fert, sustinet & colit:
Christi Evangelium & verba salubria
Observabat acri cum reverentia.
Hujus Cœnobii templa, vias, domos,
Turres aëreas, ampla palatia,
Structurasq; alias splendidioribus
Illustrans thalamis & penetralibus,
Totam arcem magis hanc reddidit inclytam.
In qua cum fuerat lustra per integra
Abbas octo bonus, rector & impiger:
Ad sedes abiit sidereas senex.
Hic cum caliculis cumq; aliis piis
Regem perpetuo laudat Olympium.
Obiit anno Christi 1452.*

De Jodoco
secundo Ab-
bat. XXXII.

Senarii Jambici Trimetri, de secun-
do Abbate infulato JODOCO ex
Roggenburgo ascito.
*Et hic mihi est paucis canendus versibus
Multa fuit qui clarus arte & gloria:*

Amarit

Amavit ipsum Phœbus, atq; Palladis.
 Varia chorus præstantia & arte nobilis.
 Adeste nostris ergo Musa versibus
 Iterum feram vobis dignum munusculum.
 Non panitebit vos laboris istius,
 Infumitis brevem meo quem nomine.
 Ad id facillimum est laudare dexteros,
 Quos inter hic primum merebitur locum.
 Animo, fide, solertia, virtutibus.
 Coluit pio vos ille semper pectore,
 Vestrosq; alumnos, & bonos clientulos,
 Qui vestra amore castra sectantur pio.
 Pietatis alter haud fuit studiosior,
 Constante & Christum, ipsiusq; dogmata
 Laudavit, ac Marpesia Constantia
 Defendit, hanc divina fortitudinis
 Turrim sacram nullo violandam tempore.
 Is cum novem annis hic sedisset integrus
 Exutus Abbatis fuit cognomine.
 Nec amplius frons hac ferebat insulam,
 Quam Pontifex summus piis concesserat
 Rectoribus clari istius sacrarii.
 Injuriam quam cum tulisset fortiter,
 Vocatus hinc ad Augustanum Præsulem,
 Gravioze dignitate sublevatus est,
 Donatus est quàm plurimis honoribus.
 Nempe ipsa virtus omnibus suum locis
 Decus solet, dignumq; habere pramium
 Sua fortibus viris, ubiq; patria est,
 Ut piscibus totum mare est patria optima.

Exauthoratur anno 1461.

Et paulo post eligitur in Suffraganeum
 Augustanæ Ecclesiæ.

ULRICUS

ULRICUS Secker sive Crumenarius, Tertius infulatus Abbas.

Hujus perfidiam nec nostra Camena tacebit,
 Tu versus tantum suggere dira mihi.
 Quam reliqui casti, doctiq; probiq; fuerunt,
 Tam perversus homo & perfidus iste fuit.
 Namq; domum sacram in millena pericula duxit,
 Damnaq; cum luxu tum levitate sua.
 Oeconomus malus, omnia dilapidansq; voransq;
 Atq; bibens, reliqui quod tenuere patres:
 Annis ergo decem cum vix regnasset & uno,
 Jamq; videretur sacra perire domus;
 Eximio titulo sacroq; exutus honore est,
 Dignus qui subus sit cambusq; pater.

Deponitur anno Domini 1472.

JOANNES GERENGROSS è Rogken-
 burgensi Cænobio ascitus, quartus Abbas in-
 fulatus.

Præfuit infeliciter Ulricus, sed Janus
 Infelicior, huic qui subit, ille fuit.
 Debetur linguis verum discordibus illud
 Hoc Ursperga tibi, qua peperere malum.
 Concordes animas Deus immortalibus auget
 Divitiis, inopes nec finit esse Viros.
 Nec sunt ille quidem hos mediis succumbere in armis,
 Eventum dare sed prosperum ubiq; solet
 Discordes autem funestaq; bella crepantes,
 Ipse magis, stygium quàm Phlegetonta, fugit.
 Omne malum Deus hos arumnososq; labores,
 Omniaq; illabi dura pericla finit.
 Atq; hic exemplum doctrina cernimus hujus
 Eximium, miris conspicuumq; modis.
 Namq; novus designari cum debuit Abbas:

Joannes
 Gerengross.
 XXXIV.

In medijs fratres venerat ira gravis.
Hac dedit infelix miserum discordia finem,
Factura sensit quam domus ipsa gravi.
Ex Rogkhenburgo sibi delegere parentem.
Qui regeret fidâ talia sceptrâ manu.
Namq; laborabant tali invidiâq; odioq;
Ut sibi nemo alium vellet habere ducem.
Ut primum vero peregrinus cepit habenas,
Mirum quanta animi rexerit illuvie.
Non ego, si linguas centum natura dedisset,
Ipsius omne scelus commemorare queam.
Ipsius atq; dolos, fraudes, versutâq; facta:
Nec valeam, si sint mille etiam ora mihi.
Ipsa altaria adhuc, collapsaq; templa loquuntur,
Et reliquum quicquid mansit in ade sacra.
Deploratq; suas miserâs domus ipsa ruinas,
Ac se conqueritur talem habuisse ducem.
Desidia quali septem cum præfuit annis,
Desiit amplius hoc aere in orbe frui.
Christus ei parcat, superasq; educat ad aras,
Collocet & miserum in Regna beata Virum.
Vos exhortor ego, & per cæli numina testor,
Qui colitis divam hanc magnificamq; domum.
Ab fugitote graves, bellorum semina, rixas.
In vestris habitet pax veneranda jugis.
Nil nisi amicitiam linguâq; animisq; sonetis,
Si bene felices vultis habere dies.
Sic pacis Dominus vobis dabit athere ab alto,
Quicquid habet pelagus, terra, polusq; boni.
 Obiit anno 1479.

De Joanne
Rieplero.
C. XXXV.

De JOANNE RIEBLERO, Quinto

Abbate insulato,

Carmen Glyconicum.

Hic cantandus erit meo
Exili quoque Carmine:
Sis praesens igitur mihi
Fontis Rex Heliconit.
Hunc Ulyssergera patrem sibi
Iusto vindicat ordine.
Vir doctus fuit, & pius
Nec vulgare Jovis decus.
Mussis sanguine caelico,
Prognatis, studuit pie.
Christi verba perennis
Constanti coluit fide.
Sacram consiliis domum
Juvit pectore non pigro:
Quam ferme reliquit sua
Amisere socordia,
Et cum sceptris sua manus
Gestasset venerabili,
Lustris quatuor, & tribus
Annis, sex quoque mensibus:
Regno depositus suo est,
Non ob causam aliam tamen,
Quam propter senit amplum onus,
Morbos corporis, & graves
Quos ferre imperium nequit.

Dimittitur ab officio anno Christi 1507.

DE GULIELMO HENSELMANNO,

Sexto Abbate insulato,

Versus Dimetri Jambici.

Nec te tacebit in suis
Mena Pieris Schediasmatis:

Nano

De Gulielmo Henselmanno C. XXXVI.

Nam dignus es, quem carmine
 Suo celebrent anrea
 Apollinus sororcula.
 Rector pius, pater bonus,
 Fuiſti in hoc ſacrario:
 Urſperga te vocet ut ſuum
 Ducem parentemq; optimum.
 Inertia quod enim ſua,
 Aliqui, vel & ſocordia,
 Vel otio neglexerant,
 Hoc ipſe diligentia,
 Reſartiebas & fide.
 Priſco vigori reddidit
 Sua domum vigilantia,
 Ruinoſa qua caſum prius
 Interminabatur gravem.
 Cui praſuiſſet ut bene,
 Per luſtra quattuor ſenex,
 Per his novem meſes ſimul,
 Deceſſit his è finibus,
 Ad Regiam ſummi Patris,
 Et ad cohortem, Olympicam
 Qua vivit in Palatiis,
 Bibitq; nectar optimum
 Regum omnium cum principe.

Obiit anno Chriſti 1523.

37. D. THOMAS, corporis ſtatura parvus, cognomento Ma-
 gnus; virtutibus verò & prudentia ſingulari maximus: in Acade-
 mia Coloniënſi Magiſterii Philoſophici titulo illuſtratus, eligi-
 tur anno Domini 1523. in triceſimum ſeptimum hujus Cœnobii
 gubernatorem, Abbatem verò inſulatum ſeptimum. Praſidet
 hoc adhuc currente anno 1551. fideliter ac feliciter. Vidit di-
 ripi, ac funditus ſerè deleri totum Cœnobium ſuum, à ſeditio-
 ſis viceſimi quinti anni agricolis: quod ipſe tamen ita inſtaura-

Iiii 2

vit,

vit, ita omni ornamentorum genere illustravit ac ditavit, ut merito secundus ejus fundator haberi & dici possit.

Hunc non ausim ego nunc multis celebrare Camenis,

Quandoquidem salvo corpore vivit adhuc:

E seculo verum hoc in caeli templa vocatum

Illustrabit cum carminis omnis honor.

URS PERINGUM Monialium nobilitate generis conspicuarum insigne Cenobium, Constantiensis dioceseos, ordinis verò D. Benedicti, militare infra Ehingum Austria principum civitatem, & propè Schelckhelinum arcem, & oppidum eorundem, in amoenissimo agro, inter altissimos montes, ad limpidissimas saluberrimasque gelidissimarum aquarum scaturigines situm: quarum autor S. Ulricus Episcopus Augustanus bacillo eum locum percuciens, & aquas eliciens, fuisse perhibetur: à quibus item nomen contigit Monasterio, ut ad Scaturigines vulgo dicitur. Id fundatum creditur initio temporibus S. Ulrici Episcopi, ab ejusdem parentibus, postea verò auctum est à Germanis nobilioris prosapiae militibus Rudigero, Adelberto equite auro, & Walthero Dominis de Schecklingen, villa & castro. Commendatum verò curæ & visitationi Wernheri Abbatis in Monasterio S. Georgii Sylvæ nigræ, anno Christi 1127. primo scilicet anno Imperii Lotharii Regis, qui Henrico quinto successit. Hic domini dederunt nominatum locum Urspringensem, cum Ecclesia ab annis anterioribus, ut est in diplomate, in eo loco constructa Deo & S. Georgio pro animarum suarum remedio. Actum in villa Ehingen. Postea cum misere vastatum esset Monasterium, ferroque & incendio deletum, circa annum Domini 1250. à fautoribus Friderici Imperatoris, Pontificiæ sedis acerrimi persecutoris, dedit paulò post Pontifex Maximus, Alexander quartus ingentia privilegia, ad Monasterii collapsi reedificationem, tamdiu usurpanda, donec ducentarum marcarum argenti summa conficeretur: Ut habetur in diplomate, quod datum est anno quarto sui Pontificatus, hoc est anno 1258. Duces Austriae sunt Monasterii advocati & tutores, primus fuit Rudolphus, anno 1360. Huic successit Leopoldus dux Austriae anno 1379. & fuerunt semper fidei

*Austriae
duces monasterii
Urspergensis
Advocati.*